



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De Abbatissarum seu Præpositarum officio, & potestate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. III.

De Abbatissarum seu Præpositarum  
regularium officio, & potestate.

Quamvis mulieres sint incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ & Spiritualis, propriè loquendo, ita ut quæ spectant ad claves Ecclesiæ sive ligandi per censuras v. g. & solvendi potestatem &c. illis non convenient, prout communissima sententia docet cum gloss. in *c. dilecta* 12. *V. jurisdictionis de majoris. & obed.* quod tamen usus aliquis seu exercitium spiritualis jurisdictionis non tantùm in moniales suas, sed in Clericos etiam beneficiatos talis monasterii committi possit, ex relata glossa habetur ita ut non tantùm beneficia talibus Clericis conferre possint, sed eos etiam in possessionem inducere (quæ tamen in re subordinata illa tota potestas est alicui Prælato ejusdem Ordinis, & ab eo multum dependet, dominativa tamen seu gubernativa potestas tam temporalis, quàm spiritualis in suas moniales vi obedientiæ illi obstrictas, negari non potest, ita ut non tantùm spiritualia præcepta illis imponere possit, atque obligentur, sed etiam in virtute obedientiæ præcipere ea, quæ sunt ad animæ salutem spectantia, & regulæ conformia, cum vi suæ professionis ad hæc obligentur.

## SECTIO V.

De officio & potestate Parochi.

## §. I.

De Parochis, seu Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, earumque officio, & potestate in comuni.

Parochi dicuntur illi Sacerdotes aut Clerici, qui auctoritate Episcoporum Ecclesiis sunt præfati, ut certo populo, qui Parochiani dicuntur, divini verbi & Sacramentorum pabulum ad animarum bonum subministrant: nuncupantur hi Parochi etiam nonnunquam Rectores Ecclesiarum, à regenda Ecclesia, & populo illis commisso: curiones sive curati à cura animarum illis commendata; Plebani à plebe vel populo, cujus curam habent, & in *c. omnis* 12. *de penit. & remis.* vocatur Parochus etiam proprius Sacerdos, illius scilicet, cujus tanquam Parochiani proprii curam agere debet, jurisdictionem his competere ordinariam in foro interno ad ligandum & solvendum, officii ratio exigit, nulla tamen illis competit in foro externo, & hinc de jure comuni ordinario, secluso speciali privilegio aut consuetudine legitime introducta, non possunt Parochi suas Parochianos excommunicare, nec alias in illos censuras ferre, nec dispensare cum illis in legibus, votis aut juramentis, quamvis possit eum, cujus delictum publicum & notorium est & excommunicatio latæ sententiæ à jure statuta est, ab Ecclesiæ ingressu arcere.

## §. II.

De celebratione Missæ, & administratione SS. Eucharistiæ.

Tenentur Parochi per se, vel per alium, saltem omnibus diebus festis, quibus popu-